



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De frequenti sacr[a]e communionis vsu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Denique ad præscriptam formulam refert in librum quem paratum habebit, nomina & confirmatorum, & patrinarum, matrinarumve.

**D E S A C R A M E N T O**  
Sanctissimæ Eucharistiæ.

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus populum doceat.

**N**ihil habet Ecclesia hoc sacramento dignius, nihil admirabilius, nihil salubrius, nihil sanctius. Continetur enim in eo præcipuum & maximum Dei donum, & ipse omnis gratiæ, & sanctitatis fons, auctoriq; Christus Dominus.

Parochus igitur ut populum sibi commissum idoneum reddat ad maximos vberimosq; huius sacramenti fructus percipiendos; singulis diebus festis, qui scilicet frequentem illius communionem proximè antecedent, atque adeo sæpius prout opportunum viderit, illum accurata, piq; concione docebit, planeq; explicabit fidem, doctrinam, excellentiamq; huius præstantissimi sacramenti; quo item modo ad illud sumendum accedant; quàm admirabiles itidem illius fructus sint, quanta vis, ac dignitas: & denique vbi sumpserit, quo modo gratiam conferuent.

Hos autè fructus enumerare poterit. Gratiam in animam influit, cum purè, & sanctè sumitur: Qui manducat, inquit Dominus, meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui enim pietatis, & religionis studio affecti hoc sacramentum sumunt, Christi corpori tanquam viua membra inferuntur, si quidem scriptum est: Qui manducat me, & ipse viuet propter me.

Animam alit, atque sustentat: quosque vsus corpori panis & vinum adfert, eos omnes animæ saluti, & iucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiæ sacramentum præbet. Vires animæ addit, efficitq; ut spiritus diuinarum rerum delectatione magis commoueatur, virtutibus augeatur, ac diuinè corroboretur.

Venialia peccata hoc etiam sacramento remittuntur: ut meritò dicat Sanctus Ambrosius, panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis.

Viros præbet, ut à criminibus fideles puros & integros, atque a tentationum impetu incolumes se conferuent. Ac præterea tanquam cœlesti medicamento animam preparat, nè alicuius mortiferæ perturbationis veneno facillè infici, & corrumpi queat.

Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat.

Postremò ut vno verbo dicatur; summam vim habet ad æternam gloriam cõparandam. eius videlicet gratia, dum hanc vitam fideles degunt, conscientie pace & tranquillitate perfruuntur: deinde eius virtute recreati, non secus atq; Elias, qui subiciueritij panis fortitudine ambulauit vsq; ad montem Dei Oreb, cum ex vita emigrandi tempus aduenit ad æternam gloriam & beatitudinem ascendunt.

De frequenti sacræ communionis vsu

**A**D saluberrimū igitur huius sacramenti frequenter sumendi vsum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit, nascentis Ecclesiæ institutis, ac exemplis, & sanctorum patrum omnium consentiente doctrina, ut ex Catechismo Romano discere poterit; & sententia œcumenicæ Synodi Tridentinæ: que optaret quidem, fideles in singulis Missis non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. curabit certè, ut præter Paschatis communionem, quæ Ecclesiæ præcepto necessaria est; saltem in præcipuis solennitatibus, veluti die Natali Domini, Epiphania, Pêtecostes; in diebus item festis maioribus Beatæ Mariæ Virginis communicent.

Crebris præterea monitis, illud quod beatissimus Siluerius Pontifex statuit, in consuetudinem reuocare studebit; ut qui sæpius non communicant, in quadagesima saltem Dominicis diebus corpus Domini-

Ioan. 7.

Ibidem.

3 Reg. 19.

Seff. 1. de b. c. 6.

Domini suntant, & die item cœnæ Domini ex antiquo instituto; ac præterea in Aduentu itidem præsent.

Eam præterea consuetudinem in parochia sua introducere curabit, vt quoties quis iter longum, aut infestum, remq; arduam & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur; qui item aliqua graui perturbatione, vel ex filiorum, coniugisve obitu, vel ex bonorum amissione, vel ex alia re aduersa affligitur, sacram communionem confessus suscipiat. Idemq; faciat, itinere, vel negotio difficili quod susceperit, confecto, vel quocunq; beneficio accepto; gratias Deo acturus huius sacramenti sumptione: in quo præcipua quedam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficijs aliquam gratiam piè referamus.

Curabit item, vt mulieres proximè parturæ hoc ipsum præsent, ac præterea cum primùm à puerperio ad Ecclesiam accedent.

De custodia sanctissimæ Eucharistiæ.

**O**MNEM etiam maximam diligentiam, curam, summumq; studij Parochus in eo ponat, vt, cum ipse tremendum hoc sacramentum, qua debet reuerentia, debitoq; cultu tractet, custodiat, & administret; tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè, frequenterq; suscipiat.

Sacrosanctam Eucharistiam, vt decentissimè fieri potest, in altari maiori custodiat, & asseruet.

Ad custodiendi asseruandiq; vsum habebit tabernaculum ad præscriptam rationem factum, quod quidem clauem (quam apud se tenebit, neque clerico committet) benè clausum habebit; nè, quod Ecclesiæ, & Christiano populo datum est ad salutem, maleficorum manus Diabolo operante ad perniciem abutatur: id quod etiam veteri canone cautum est. Alioqui si ea in re negligentiam ipse commiserit, graues sibi penas ex canonum disciplina propositas esse meminerit.

Eius ornatus exterior, & vestitus interior, & ostiolū erit ad præscriptam formam. Præterea tabernaculum ipsum, aptè, re-

ctè, & decenter, firmiterq; collocabitur, fixumq; altari inherebit: conopeo decetè operietur; atque ab omni alia re vacuum erit: neque præterea armarium vllum, etiam subtus habebit.

Pixides item habebit tanto sacramento dignas, ex canone ad præscriptum.

Lampadariū sit, in quo lampades accensæ semper colluceant; siq; non plures, vna saltem in conspectu sanctissimæ Eucharistiæ. Lumen verò lampadæ oleo oliuæ nutrietur; nec verò alterius generis adhibeatur, nisi quibus locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum eius generis haberi potest.

Sanctissimæ autem Eucharistiæ, pro parochiæ magnitudine, & communicantium multitudinè, particulas opportuno tempore habebit: sed quinque saltem perpetuò custodiet in pixide.

Eas autem octauo quoque die ad summum renouabit, præsertim quinta quaque feria, si commodu erit; in qua Christus Dominus hoc tantum sacramentum instituit: hostiæ autem adhibeantur recentes, & à viginti diebus ad summum confectæ. Id verò etiam præstabit, vt vbi recentes consecrauerit, veteres primò ministret.

Qui ad sacram communionem admittendi sunt.

**O**MNES fideles ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis ijs, qui iusta ratione prohibentur. qua de re, quæ à sacris doctoribus traduntur, cognoscere studeat. sed hoc loco hæc summam monentur.

Non admittuntur ad communionem heretici, schismatici, excommunicati, interditi, publicè criminosi, manifesteq; infames; vt meretrices, publici concubinarij, sceneratores, magi, sortilegi, blasphemii, & alij id generis publicè facinorosi homines. Atque isti quidem si ad poenitentiam & communionem admitti, postea in eisdem peccatorum sordibus versabuntur; ad huius sacramenti perceptionem rursus ne facile admittantur, quoad ipse Parochus qui illorum curam gerit, eos vitam & mores re ipsa emendasse perspexit.

Reis capite damnatis in tempore mi-

P 3 infra-